



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De signis apud Baptismum in genere 62

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

nati ab illegitimis discernantur, in aliis denique ob alias quasdam impias causas usurpatur, de ea, inquam, nec Prudentius, nec alius quiquam ex antiquis vel verbo mentionem fecit. Probè inspiciantur verus, quos Aduersarij adduxerunt, qui ita incipiunt:

O res digna Deo, quam tibi roscida

Noctis principio grex tuus offerat, Lucem, &c.

Totus enim iste hymnus de iis tantummodo candelis cauit, quæ olim in nocte Paschali ad tenebras depellendas accendebantur. In quibus piè ac Christianè seiplos admonuerunt Christi Domini, lucis mundi: quemadmodum etiam columnæ igneæ, per quam Deus populum suum eduxit ex Ægypto, & quæ typum gerebat Christi. Verum de talibus rebus ne verbo quidem docent Aduersarij populum, sed tantummodo mutis quibusdam & non intellectis signa omnia sua perficiunt.

Decima pars.

De veste alba.

CAP. LXI.



Sus vestis albæ etiam peruetustus est. Verum quantum magis necessarium est, de eo elaborare, quomodo Christum Dominum induamus, eoque conuestiamur? Eo sunt omnia in libro Reformationis, idque iuxta eam rationem ac formam quam ipsum verbum Dei præscribit, quod de veste alba nullam mentionem facit.

De pluralitate signorum, quæ ad administrationem Baptismatis accesserunt, generalis responsio.

CAP. LXII.



ET ERES ad excitandam & augendam religionem deuotionemque populi apud Baptismum, & ad maiorem administrationi mysterioque illius auctoritatem & solennitatem conciliandam, plurima signa, & spirituales ceremonias adhibuerunt. Eas verò diligenter quoque ac fideliter populo explicauerunt, & ad verè fidelem præsentiam, omnimodamque fidei in Christum edificationem, cū perspicuis & intelligibilibus lectionibus, orationibus ac hymnis excitauerunt & adduxerunt.

Aduersarij verò longo iam tempore hæc signa & externos ritus sine intellectu, sine deuotione, sinéque omni ædificatione, imò partim ad ludicrum, partim ad impium & superstitiosum spectaculum usurparunt. Quamobrem neque de S. Patribus gloriari, neque eorum auctoritatem istis Ecclesiis obiicere possunt, quæ mysteria & dona Dei apud

Baptismum intelligibili lingua, verèque religiosa & deuota tractatione declarant, prædicant, & tradunt; quamuis non omnia signa ad hanc rem vsurpent, quæ ab antiquis adhibita & vsurpata suat.

Estque inter Aduersarios, qui externa quidem signa cum veteribus vsurparit, opus autem veræ ædificationis ac piæ emendationis non demonstrant: & inter eas Ecclesias, quæ opus Christianæ ædificationis summa diligentia declarant, tam multa verò signa rituum que externos, sicut olim antiqui fecerunt, non adhibent, consimilis ratio ac si hospes quidam primò à bonis & honestis amicis exceptus fuisset, qui ipsum splendide ac laute, non tantum exquisitis epulis, sed multis quoque ceremoniis, ac reuerentiæ signis tractassent. postea verò ad alios homines perueniret, qui omnia quidem honoris ac reuerentiæ signa illi exhiberent, quæ primi boni ac veri eius amici erga ipsum demonstrauerant, nihil autem cibi & potus ei ministrarent, imò potius iocose ac ludicrè quàm seriò & in honorè eius talibus ceremoniis ac gestibus vteretur, addeò vt amor & reuerètia, quæ primi eius amici erga ipsum demonstrauerat, penitus ibi non deprehenderetur: Tertio tandè ad alios, eosque rursus veros amicos venire, qui lautissimos ac pretiosissimos ei cibos apponeret, perinde vt à primis factum erat, idque etiam cù mediocri honoris declaratione, longè tamè paucioribus ceremoniis, quàm à primis illis fiebat. Iam si medijs, ficti ac falli eius amici de tertijs istis cõqueri vellet, quod hospitem istum honorificè non tractassent, quemadmodum primi eum tractauerant: ipsi verò multum gloriarentur, quod eum non minus solenniter ac splendide quàm primi, excepissent, tunc si vel hospiti vel alij cuiquam honesto viro sententia super hoc negotio pronũcianda foret, annon dicturus esset, tertios veros amicos hospitem bene ac honorificè, iuxta amorem & amicitiam primorum excepisse: inter medios autè, qui derisores potius & gesticulatores, quàm bonos amicos sese demonstrauerant, malè ac contumeliosè eum tractasse, eamque amicitiam, quam primi illi exhibuerant, penitus erga eum non declarasse?

Ad eundem modum pij de istis Ecclesijs Christi iudicabunt, quæ sacrosancta sacramenta iuxta institutionem Christi & Apostolorum summa cùm religione ac deuotione administrat: fideliter quoque declarant, quid Dominus in sacramentis suis nobis faciat & præster: adhæc precatioes & laudes Dei toti Ecclesie intelligibiliter proponunt, ad efficacem pietatis ædificationem, quod veterum Patrum deuotionem & ardorem probe imitaturæ suat, etiam si pauciora signa adhibeant. De Aduersarijs verò pronũtiabunt, quod dictus hospes ab illis suis, qui multas inanes ceremonias, sine reali beneficentia, ei exhibuerunt, multis contumelijs ac ludibrijs fuerit affectus.

Argumentum sanè est, quod Christianos meritò non nihil mouet, Omne id quod in diuturna cõsuetudine atque obseruatione veterum verorum Christianorum fuit, parui pèdendum, & temerè abrogandum non esse. Attamen nulli rei maior authoritas tribuenda est, quàm iis que sunt nobis à Deo in ipsius verbo præcepta, in primisq; & antè omnia respiciendum est ad finem omnium Ecclesiasticorum rituum, quantumuis antiqui sint,

sint,

sint, nempe ad ædificationem fidei in Christum Dominum, atque ita de omnibus ceremoniis ac ritibus iudicandum, prout ad istam fidei ædificationem conferunt.

Iam verò candelas infantibus præferre: eos primum omnium extra templum excipere: in faciem eorum insufflare, signo crucis eos signare: salena adiurare, & adiuratum in os eorum imponere, diabolo seueriter præcipere, vt ab infantibus exeat: manus eis imponere: nasum & aures sputo linire, ac peculiaria ad id verba proferre: Sermonem ad pueros ipsos, perinde ac si quid dicatur intelligant, dirigere: oleo denique & Chrismate eos aliquoties inungere, quid omnes istæ ceremoniæ ac signa, quemadmodum & ea quoque, quæ ad Consecrationem aquæ b. prismaticis adhibentur, ad pietatem conferre, eamque promouere possunt, vbi ea non cum bono puro ac fideli intellectu seriæque & ardenti deuotione vsurpantur?

At verò manifestum est quod communiter his signis omnibus Aduersarij sine omni vero intellectu & fide, sicut etiam sine vlla pia ac Christiana deuotione, abutuntur. Quamobrem necessarium est, vt magis vel ad Iudaicam seruitutem, vel ad Ethnicam superstitionem, & grauem meriti Domini nostri Iesu Christi & Sacrosancti Baptismi ofuscationem, faciant, quàm ad vllam ædificationem fideique propagationem: Cùm igitur hoc constet, & præterea omnia hæc signa ab humana ratione, sine mandato Domini & Apostolorum excogitata sint, atque in tam grauem & abominandum in conspectu Dei abusum prolapsa, sanè non minus piè mutantur, quàm Rex Ezechias æneum serpentem confregit, quod signum Dominus ipse fieri præceperat.

Et quando Aduersarij antiquum talium signorum vsum, & quod à veltioribus quoque S. Patribus fuerit obseruatus, extollunt, dicendum illis est, Quare non potius antiquos verèque ædificantes ritus & ordinationes S. Patrū vigeant, quàm non necessaria & ad ædificationem nullam vim habentia signa. Nempe vt verbū Dei & Sacrosancta Sacramenta iuxta institutionem Christi ad verè ædificantem intellectum dispensarēt, Christianam disciplinam, imprimis autem Clericorum, diligentius obseruarent; quā facere solent: item vt ad verum & ædificantē vsum eorum signorum pro quibus pugnant, melius attenderent: nēpe vt cum intellectu & Christiana deuotione illa populo proponerēt, nō autē adeo penitus Iudaicè & Ethnicè, hoc est, sine omni intellectu & Religione, cum graui infidelitate, falsaque fiducia exercerent & vsurparent. Tantummodo enim à fideli talium signorum vsu tota res pendet, sine quo necesse est, vt ea omnia perniciosam adferant fidei in Christum oblesionem, sintque propterea abominabilia & detestanda coram oculis Domini. Verum de inani putamine, mutis videlicet signis ac ceremoniis Aduersarij decertant, nucleum autē verè emendationis negligunt.

Nos autem ordinauimus, quod & verbum Dei & S. Patres imprimis requirunt, nempe quod ad pietatem efficaciter prodest, ac necessario requiritur. De signis istis, quæ per se libera sunt & non præceptæ obseruationes, quæque hoc tempore si cumulentur, magis ad

obscuracionem meriti Christi, & impedimentum fidei in ipsum faciūt, tam multa ordinauimus vsurpanda, atque sperari à nobis poterat, hoc tempore ad prouectum pietatis conductura. In eo antiquum ac bonum vsum S. Patrum, quem Aduersarij in omnibus essentialibus & verè vtilibus articulis omnino peruertunt, rectè ac benè obseruauimus, quemadmodum S. Patres obseruare nos docuerunt, ipsique sine dubio obseruaturi essent, si distorto hoc seculo Ecclesijs præesse deberent. Propter hanc piam talium signorum moderationem nemo nos meritò reprehendere potest. Adhæc nulli Ecclesiæ aut Episcopo hac in re subiecti & obnoxij sumus. Vniuersum enim Episcopale munus nobis demandatum est, quod ad ædificationem gregis Christi fidei ac curæ nostræ commendati, liberè obire ac administrare debemus.

Iam qui omnia ea quæ in defensione huius articuli hætenus adducta sunt, piè cognoscere & ponderare volet, is facilè videbit, temerariam & impudentem calumniam esse contra Archiepiscopum & Patrem eorum, qua scribunt Christianas Apostolicas & Catholicas Baptizandi formas ordinationes & consuetudines in vniuersum ferè per Librum Reformationis abrogari, nouum verò quoddam & inauditum commentum in eorum locum induci: cum in ea forma baptizandi, quæ in libro præscripta, ne minimum quiddam abrogetur eorum quæ à Christianis semper & vbique fuerunt obseruata. Sat constat, quomodo Apostoli baptizarint. Ad hæc nihil quicquam in hac forma introductum est, quod non antiquum sit, & ex verbo Dei, ac veteri consuetudine verè ac Christianæ ordinationis Baptismi desumptum.

Adhuc magis temeraria calumnia est, quod Aduersarij scribunt, Librum non apud vnã formam permanere, sed multiugas formas instituere, permittere quoque potestatem vnicuique Pastori, pro arbitrio suo formas illas prolongandi & abbreviandi, Baptismus interdum ministrandus est, cum tota Ecclesia simul est collecta; interdum aliis temporibus, quibus non tota Ecclesia est congregata, interdum cum necessitas vrget in priuatis ædibus. Iam verò prout singulis temporibus præsentiam ædificatio requirit, & necessitas infantis tolerare potest, explicatio ac solennitas Baptismi vel prolongetur, vel decurtetur, nunquid hæc est illicita mutatio formæ Baptizandi? Hic videatur, quid homines isti de vera Sacramentorum dispensatione curent. Quando hæc actio tantummodo peculiaribus quibusdam & ad eam rem deputatis & conceptis verbis ac signis, instar magicarum actionum peragitur, siue verba ac signa ab hominibus intelligantur, siue non: siue meliores inde, siue deteriores fiant: præclare rem omnem transactam esse putant. Quicquid enim in eum finem ordinatum est ac tendit, vt populus hæc mysteria rectè intelligat, & in fide Christi efficaciter ædificetur, id à calumniis & suggillationibus eorum tutum ac liberum esse

Sequit.

Hæc-